Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1289

Quelle:
Copyright:



*Ciſt.* p. 128. ſed celeberrimi illius *Porretani*, unius e *quatuor Galliae Labyrinthis*, qui a. 1154. Epiſcopus *Pictavienſis* deceſſit. Edidit illam praevio textu *Adamus Petri* J. V. D. ex officina Patris ſui *Henrici Baſil.* 1570. cum reliquis *Boethii* Operibus f. verum ita, ut non parum e *Cod.* noſtro perfici poſſit. Liber I. *Quomodo Trinitas eſt unus Deus, et non tres Dii* incipit a Prologo: *Inueſtigatam diutiſſime Queſtionem, quantum noſtre mentis igniculum* &c. Ipſius Tractationis initium: *Chriſtiane Religionis reuerentiam plures uſurpant* &c. Praeit iſta *Gilberti* Prooemium ἀνεπιγραφον: *Libros queſtionum anicii. quos exhortationibus precibusque multorum ſuſcepimus explanandos* &c. decurritque cum *Editis* usque ad ea verba: *ne aliquo ſenſu ab autenticis ſanctarum diuinationum ſcriptoribus recedamus.* Atque heic prolixum locum *Baſileenſes* non habuere, quem subplebo. *Quamuis nos ab eis diſſentire garriant quidam temporum noſtrorum fennii atque pacomii qui cum nihil didicerint opinione ſua neſciunt nichil. homines ſine ratione philoſophi. ſine uiſione prophete. preceptores impoſſibilium. iudices occultorum quorum mores plurimis notos deſcribere. nil noſtra intereſt. Ipſi uero tanquam excuſſi propriis aliena negotia curant et obliti ſarcinas ſuorum ſcelerum uel facinorum. de ceteris animi ingenio et uite boneſtate preclaris multarum perſonarum fingunt comedias qui etiam in deum blaſphemi illos de ipſo profitentur errores quorum nomina diffitentur. Nam ut ita dicatur Heretico catholici in ſabellii. donati. pelagii et aliorum huiusmodi peſtilentium uerba iurati. horum nomina eo quod edictis publicis dampnata noſcuntur. cum katholicis deteſtantur ut cum blaſphemiarum ſint iuſte dampnabiles. blaſphemorum deteſtatione putentur indempnes. Sed quia non tam res nominibus quam nomina rebus accommodat impoſitio. quibuscunque res conueniunt nomina non conuenire non poſſunt. Quoniam ergo uere ſunt recte uocantur ſabelliani. donatiſte. pelagiani et huiusmodi et bene quia noui heretici nihil aſſerunt noui ut ad improbandum adinuentiones nouas nouis ſit laborandum inuentis. Antiqua ſunt dogmata olim preclari et exercitati ingenii uiros* (uiris?) *euidentiſſimis atque neceſſariis rationibus improbata quibus eadem his nouiſſimis rediuiua temporibus poſſunt refellere quicunque recte intelligentes uirorum illorum ſcriptis lectitandis inuigilant. Sed qui neque legunt neque lecturiunt ideoque ſcientiarum elementa ſiquidem prioribus annis attendere conſueuerant poſt longa deſuetudine deſciuerunt aut etiam corruptis artibus a uia ueritatis exorbitauerunt has omnino rationes ignorant Quorum ſi forte aliqui humano errore aut poteſtate aliqua — — aut preeminente dignitate precipiunt ut uerum falſum et falſum uerum itemque bonum malum et malum bonum eſſe credatur et quod inpudentiſſimum eſt ad ſui magnificentiam*